

**www.e-rara.ch**

**Historia doctrinae protestantium, in religionis materia continuis  
mutationibus, contradictionibus, innovationibus, variatae, et fluctuantis**

**Bossuet, Jacques Bénigne**

**Viennae Austriae, 1753**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Re 294

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28434>

Liber III. Ab anno 1546 usque ad 1561.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



# LIBER III.

*Ab Anno 1546. usque ad 1561.*

Summarium Libri III.

**B**ellum Schmalcaldicum. Theses Lutheri, qui suos ad arma capienda excitaverat. Nova belli causa occasione Hermannii Colonienfis. Prodigiosa ejus ignorantia. Protestantes victi, Saxo, & Landgravius capti. Interim, provisionaliter pro Protestantibus tantum Religionis negotia usque ad Concilium componens. Turba in Prussia causata per Osiandri doctrinam de justificatione. Disputationes inter Lutheranos post Interim. Illyricus Melanctonem Magistrum supplantare nititur, propter ceremonias adiaphoras. Renovat ubiquitatem. Imperator urget Lutheranos ad comparandum in Concilio. Confessio Saxonica, & Ducalis Wittenbergica hac occasione scripta. Distinctio peccatorum venialium, & mortalium. Meritum bonorum operum de novo admissum in colloquio Wormatiensi; ubi Lutherani colliduntur, & nihilominus consensu communi decidunt, bona opera non esse ad sa-

*lutem necessaria, Mors Melancktonis 'in tristissima perplexitate. Zwingliani damnati in Synodo Jenensi. Lutheranorum Conventus Naumburgi, ad decidendum, quæ sit vera editio Augustanae Confessionis; ubi tamen nihil certi definitur. Ubiquitas per totum fere Lutheranismum invalescit, Lutherani inter se contrarii, ut respondeant Libertinis, & Christianis infirmis, incidunt in Semi-Pelagianismum. Liber Concordiæ compilatus.*

**F**ormidanda erat liga Schmalcaldica, a Luhero excitata. (c) Principum conjuratorum favore nixus vulgaverat theses, furore plenas, jam antea anno 1540. defensas, sed nunc de novo vulgatas anno ante ejus obitum. In his comparat Pontificem lupo rabioso, contra quem totus mundus sine jussu Magistratus procurrere debeat: eum, qui in hoc conatu occiditur prius, quam bestiae mortale vulnus inflixit, de hoc uno dolere debere. . . . hac ratione agendum cum omnibus, qui eum defendunt, tunquam prædonibus sub Duce suo, sive Imperatores, sive Reges sint. Sleidanus, ex pudore haud dubie, & horrore, ultima hæc verba omittit, quæ tamen in Lutheri thesibus inveniuntur. (d)

Inter

(c) S. 1. i. Sleid. l. 16. 261. 1545. (d) T. I. Witt. 407.

Inter hæc novæ turbæ ortæ sunt occasione Hermanni , Archi-Episcopi Coloniensis , Prælati tam prodigiosæ ignorantix , ut vix latinum intelligeret ; tantæ negligentix , ut , quemadmodum Imperator Landgravio , ejus inceptam Reformationem jactanti , dixit , *tota vita vix ter Missam dixerit , quarum duas cum Imperator audiret , advertit , cum ne initium quidem scivisse.* (e) Hic ergo Hermannus quamdiu Gropperum audit , leges sanctissimas pro fidei antiquæ defensione tulit ; post vero a Lutheranis seductus , de Reformatione cogitavit , *Protestantibus , omni ope illi succurrere promittentibus , si Religionis causa invaderetur.* (f) Fœdus denique Schmalcaldicum in apertum bellum erupit , Protestantibus , per publicos libellos spargentibus , bellum ab Imperatore suscipi ex instigatione Romani Anti-Christi , quidquid Imperator contra ostenderet , rebelles se tantum petere. Disputatum porro inter Protestantes , qua ratione agerent cum Imperatore Elector volebat illi dari nomen *Imperatoris , alias , inquebat (sane ridicule ,) non possemus licite ei bellum inferre.* Landgravius vero nihil dubitabat , & sane prudentius. Quis

S 4

enim

(e) Sleid. l. 17. 276. (f) Ep. Vit. Theod. Int. Ep. Calv. p. 82. 1546. Sleid. ibid. 299.

enim Eum Imperatoria dignitate spoliaverat? an hoc ipso, quod Papæ conjunctus fuit, Imperator esse cessavit? denique conclusum est: agendum cum illo tanquam cum eo, *qui se pro Imperatore gereret*. Verum infelix fuit belli exitus pro Lutheranis. Victus, (g) captusque cum Saxone Landgravius; hic diuturno carcere maceratus, ille dignitate Electorali postea spoliatus. Proposuit eis (h) interim Cæsar auctoritate sua formulam doctrinæ, dictam *Interim*; in qua rejiciebantur omnes Lutheranorum errores, solaque permittebantur usque ad Concilium, contracta jam ab Ecclesiasticis matrimonia, & inducta alicubi Communio sub duplici specie. Improbavit Roma conatum Imperatoris, res, ut videbatur, ad se non pertinentes tractantis; excusavit Ille, nullam se fecisse decisionem, nec legem, sed præscripsisse tantum Lutheranis, quæ in eis tantisper tolerare vellet. Interea hæc formula optato successu destituta est, Lutheranorum multis eam respicientibus, aliis coacte tantum admittentibus.

Equidem jam antea Ratisbonæ propositi (i) fuerant tres Theologi Catholici Pflugius, Gropperus, Eccius, ad tractan-

(g) 1447. (h) 1548. (i) 1541.

standum in negotio Religionis cum Melanchtone, Bucero, & Pistorio. Ibi Eccius hunc librum rejecit: nec status, & Episcopi Catholici approbarunt, proponi Corpus doctrinæ sine habita communicatione cum Contareno, Legato S. Sedis, viro etiam a Protestantibus laudato, qui desuper etiam consilium rogatus, dicebat: *hujusmodi negotium remittendum ad Pontificem, vel ad Concilium Generale, mox aperiendum.* (k) Profecuti sunt interim Catholici conferentiam; cumque in Articulis aliquibus convenirent, eos *vocarunt Articulos conciliatos*, licet Eccius semper obniteretur. Petebant Protestantes, hos Articulos confirmari tantisper ab Imperatore; verum Catholici constanter reluctati sunt, dicentes, non posse se consentire mutationi dogmatis, vel ritus unius usitati in Ecclesia. Protestantes ex sua parte detorquebant suis explicationibus Articulos conciliatos, & afferebant *annotata, vel omissa in art. conc.* 82. Melanchton ad Imperatorem (l) scripserat, *paratos se recipere Articulos conciliatos,*

S 5

dum-

(k) Sleid. 1. 14. act. Coll. rat. Arg. 1542. p. 199. ibid. 132. Mel. 1. 1. Ep. 24. 25. Act. rat. 136.  
(l) Ibid. 153. Sleid. 1. 16. 157. Ibid. Res Prin. 78. 1. Ep. 29. ad Car. V.

*dummodo bene intelligerentur.* Hac ratione lusa est opera, & collatio effectum non habuit, quemadmodum & alia ibidem Anno 1546. celebrata.

Dum interim Imperator passim: & in specie Argentinæ urgeret receptionem sui libri, a Pflugio, Heldingo, & Islebio Lutherano revisi; Bucerus novam edit Confessionem; qua declarabatur, Argentinenses in hære primæ suæ Confessioni, Cæsari oblata, & Concordiæ Wittenbergensi, in qua facti erant, erant, eos etiam, qui fidem non habent, recipere Corpus, & Sanguinem. Ceterum in hac sua Confessione solam simpliciter Transsubstantiationem negans, ea, quæ ad realem præsentiam pertinebant, integra reliquit. (m) Iterum hic se versatile Buceris ingenium prodit. Subscripserat Articulis Schmalcaldicis, adeoque & Augustanæ Confessioni, per illos roborata; huic autem confessioni contraria erat Argentinensis prima, adeoque constanter a Lutheranis rejecta. Permissum itaque est in nova Reformatione mutare, sed non item mutationem factam confiteri, ne nimis clare appareat, eam opus esse humanum. His actis in Angliam Bucerus paulo post secessit, ibique

(m) Sleid. l. 20. 344. sup. l. 4. sup. l. 3.

que sub Eduardo in magna consideratione vixit, absque tamen, quod aliquid in Zwinglianis Petri Martyris Articulis mutatum sit.

Inter hæc ob turbas, occasione libelli *Interim* concitatas, Lutheranorum aliqui, contra boni Pastoris regulam, suas reliquere Ecclesias. Osiander Norimbergæ, dum nemo cogitat, disparet, post exactos ibi 25. annos, & in Prussiam abijt, quam Magister Ordinis Teutonici, abjecto habitu, & uxore ducta, Lutheranismo infecerat. (n) Peculiarem a fratribus suis Osiander habebat opinionem de justificatione; docens, nos justificari intima unione cum substantiali DEI Justitia, nixus verbis illis: *Dominus Justitia nostra est.* Hanc suam doctrinam omnino tempore Augustanæ Confessionis recipi a Lutheranis volebat, adeoque eam magna, & audaci temeritate etiam in conventu Schmalcaldico defendit. Toleratus tamen obscenitiam, ob timorem novarum dissensionem, & ingenium facetum, quo exhilarabat sæpe Lutherum. Quam vero stolidæ, & insolentes, vel potius scurriles ejus facetiæ fuerint, testatur Calvinus ad Melanctonem. *Quotiescunque, in convivio*  
*vinum*

(n) Chyt, l. 17. Sax. Tit, Osiandrica p. 444.

vinum esse generosum adverteret, laudabat illud, applicando ei verba illa: Ego sum, qui sum, & illa: Ecce Filium Dei viventis. Hæc Calvinus ipse cum horrore audiverat, qui & ibidem de eo loquitur, ut homine bruto, bestia, non cicurabili, profano, moribus infami, opprobrio Protestantium. Hæc Calvinus, non tam ex odio contra Osiandrum (erat enim pertinacissimus Sacramentariorum hostis, adeo, ut præsentiam totalem eousque urgeret, ut diceret, panem esse Deum) sed ex ipsa rei veritate; quemadmodum etiam Melanchton, licet publice Osiandrum laudaret, (o) ad amicos tamen scribens, traduxerat ejus deliria, arrogantiam, & monstra opinionum. Irrepisset Osiander etiam in Angliam, favore Cranmeri affinis fretus; verum, ait Melanchton, Cranmer, a prudentibus monitus de periculo, quod subitura esset Anglia per hominem istum, qui novarum opinionum chaos in Ecclesiam invexerat, eum non admisit. In Prussiam delatus, & a Principe prima Cathedra in Universitate Giomontana honoratus, illico dissensionis semina sparxit par suam de justificatione doctrinam; quam ne alibi profeminaret, & uteretur, territus fuit, inquit nonnulli,

(o) 1. 2. Ep. 240. 259. 447. &c.

nulli, magnanimitate Lutheri. (p) Verum Lutheri magnanimitas non minus timebat, ne per Osiandrum novæ opiniones, & lites orirentur, quas terminandi nullum miserī habebant medium.

Alia (q) porro disputatio cum multa amaritudine inter Lutheranos agitata est, de caremoniis, sive rebus adiaphoris. (r) Nolebat eas rejici Melanchton, fultus Academia Wittenb. & Lipsiensi, dicebat enim: *propter superpelliceum, vel aliqua festa, vel lectionum ordinem non esse accersendam persecutionem.* Crimini hæc illi doctrina vertebatur, decisumque est, hæc omnino, tanquam Christianæ libertati contraria, esse rejicienda. At vero hujus conclusionis auctor Illyricus aliud aliquid occulte agebat, perdere scilicet Melanchtonem, Magistrum suum, quem ex æmulatione vix sufferre poterat. Unde etiam factum est, ut quo magis Melanchton niteretur debilitare præsentiam realem, eo fortius illam urgeret Illyricus, adeo, ut illi etiam adderet ubi-quitatem, postmodum a plerisque per Germaniam Lutheranorum Ecclesiis receptam,

(p) Acad. Reg. Chytr. ibid. p. 445. (q) 1549.  
(r) Sleid. l. 20. 365. l. 22. 378. l. 1. Ep. 70. l. 2.  
36. Conc. p. 514. 789. Sleid. 16.

ptam, de quo postea. Nunc enim ordo temporis postulat, loqui de Confessionibus Saxonica, & Ducali Wittenbergica. (s) Digesta fuit utraque eodem pene tempore, ut offerrentur Concilio Tridentino, in quo Protestantes jussu Caroli comparere debebant; Saxonica per Melanctonem, jubente Electore Mauritio, sub nomine *Repetitionis Confessionis Augustanae* scripta, per universam Saxoniam, per Pomeraniam etiam, aliosque principatus recepta fuit. (t) Brentius concinnavit sub eodem nomine Confessionem Wittenbergicam, auctoritate Christophori Ducis. Verum res ipsa declaravit, hoc nomen Repetitionis eo tantum sine usurpatum, ut tegeretur ignominia partium ex tot Confessionibus. Quid enim Repetitione opus erat, si ambæ cum Augustana exacte convenirent? At vero multum abfuit. Primo enim Melancton (u) discursum diffusum per 5. paginas fere substituit tribus lineis Art. X. in Conf. Aug. Secundo asseruit, *res Sacramentorum non esse Sacramenta, præterquam tempore usus. Hoc tempore JESUM Christum esse vere, & substantialiter præsentem, vere illis donari,*

(s) Synt. Gen. p. 2. p. 48. 98. 1551. 1552. (t) Synt. Gen. 2. p. p. 94. & seq. (u) Cap. de Cœn, Synt. Gen. 2. p. p. 72.

donari, qui recipiunt Corpus, & Sanguinem JE-  
su Christi, per quod JESUS Christus testatur, se esse in  
ipsis, eosque facit membra sua. Quibus ver-  
bis videtur negare, vere manducari Cor-  
pus Christi, illudque dicere tantum velle,  
communicari Corpus Christi, sed separa-  
tim, & seorsim a pane. Unde etiam ab-  
stinuit a verbis, quæ in Confessione posue-  
rat, Corpus, & Sanguinem vere dari cum pa-  
ne, & vino, & ab Arti. Schmalcal. cui ipse  
subscripserat, panem & vinum esse verum Cor-  
pus, & Sanguinem, & non tantum accipi a  
piis, sed etiam ab impiis. Hæc, inquam,  
omnia silentio prætermisit Melanchton, &  
verba illa ambigua, imo illusoria substituit,  
Corpus Christi esse vere, & substantialiter præsens,  
& vere dari iis, qui recipiunt Corpus, & San-  
guinem JESU Christi. Quis non videt, fen-  
sum hunc esse illusorium? Accipiunt Corpus,  
quibus datur Corpus. Imo quis non videt,  
aliquos hic tacite excludi, qui Commu-  
nionem accipiunt, non Corpus ex sensu  
Zwinglii, scilicet impii.

Confessio Wittenbergica pariter re-  
cedit ab Augustana, dum nobis (x) con-  
cedit, DEUM posse annihilare, vel mu-  
tare substantiam panis in Corpus, licet ea  
potestate in Cœna non utatur. 2do dum  
ad-

(x) c. de Euch. 16. p. 115. p. 53.

adstruit concomitantiam, *JESUM Christum totum dari tam in pane, quam in vino, nihilominus universalem esse legem communicandi sub utraque.* Licet autem hæc Confessio damnet eos, qui dicunt, panem esse signum Corporis absentis; verba tamen consecrationis, *hoc est Corpus meum,* explicant per illa Ezechielis: *hæc est Jerusalem,* scilicet repræsentatio, & imago illius Urbis. Quis non miretur hanc confusionem, & contradictionem? Nempe sic evenire solet, dum veritatis semita relinquitur. Verbis, sententiis, & Confessionibus propriis contenti non sunt, subinde, velut maris fluctus, a se recedunt, & ad se accedunt, eaque loquuntur, quæ conciliari vix possunt.

Ultra hæc Confessio Saxonica ait de libertate: *voluntatem hominis esse liberam, Deum non velle peccatum, nec illud approbare, aut ad illud cooperari.* (y) His verbis & se ipsum Melanchton, & Lutherum Magistrum correxit, sed adhuc clarius, dum ait: *voluntatem, postquam recepit Spiritum S. non remanere otiosam.* Quibus verbis innuere videtur, voluntatem ad opera bona, & supernaturalia libere cooperari, & agere, quod antea in Confessione non admiserat, liber-

(y) Cap. derem. pec. del. arb. Synt. Gen. 2. p. p. 54. 60. 61. l. 4. Ep. 240.

libertatem restringens ad actiones externas, & civiles. Sed clarius hanc veritatem expressit in suis epistolis, ubi in operibus supernaturalibus voluntatem vocat *agens partiale*; idipsum asseruit Ratisbonæ 1541. suis licet improbantibus, *quia, inquit, verum est.* Sed adhuc clarius in aliqua (z) ad Calvinum epistola ait: *Amicum habeo, qui admittit providentiam, & contingentiam, licet illa conciliare non possit; ego, qui teneo, Deum peccati auctorem non esse, nec peccatum velle, agnosco illam contingentiam, in infirmitate iudicii nostri, ut ignorantes confiteantur, Davidem propria voluntate prolapsum in peccatum, Spiritum S. conservare potuisse, & in conspectu agnoscendam quandam voluntatis actionem: quod mox confirmat aliqua Basiliæ sententia: habe tantum voluntatem, & DEUS ad te venit.* Hac ratione Melanchton liberum arbitrium erexit, quod Lutherus fulminaverat, licet in publicis Confessionibus, ob fociorum insaniam obscure non nihil, & ambigue locutus sit, dicens: *voluntatem non manere otiosam, nec sine actione.*

Verum quantumcunque caute scriberet Melanchton, Illyricus cum fociis vocem illam, *voluntatem non manere otiosam, nec sine actione*, ferre non potuit, sed eam

T

cum

(z) Ep. Mel. inr. Calv. Ep. 384.

cum Basiliæ textu in duobus conventibus Synodalibus damnavit. (a) Quæ quidem damnatio inserta est libro Concordiæ, licet ibi Melanchton honoris causa non nominetur, sed tantum generali nomine: *novi auctoris, Papistæ, Scholastici.*

Vide itaque, & contemplare sectarum genium. Novatores amplectuntur, speciosis ideis decepti, nova dogmata. Ita Melanchton cum Luthero oppugnabat liberum arbitrium, ejusque actionem in operibus supernaturalibus: tractu temporis ad se reversus, & de errore convictus ad aliud extremum declinat, attribuens voluntari etiam initium in actionibus bonis (hoc enim arguit textus confessionis, supra allatus, & locus Basiliis, a Melanchtone adhibitus, licet alibi Sanctus clare explicet, etiam initia bonarum actionum esse a Spiritu S.) denique cum ab hoc extremo ad medium veritatis paulatim relabatur, damnatur a suis: ita scilicet agitantur, qui salutare Ecclesiasticæ auctoritatis jugum excussere.

Verum licet Lutheranorum pars *admittere nolit, voluntatem non esse sine actione*, non tamen video, qua ratione rem ipsam negare possint, cum in Augustana Confessione,

(a) p. 5. 82.

ssione, in Apologia, in libro (b) Concordiæ admittant, hominem, qui est sub gratia, eam admittere, & rejicere posse; hoc autem sine actione, & libertatis exercitio fieri non potest.

Unus superest articulus in Confessione Saxonica, vel ex eo memorabilis, quia unum e fundamentis novæ Reformationis convellit. Non agnoscit illa, peccatum ex natura aliud esse veniale, aliud mortale: hic autem Melancton (c) cum Theologia Saxonicæ confitetur. *Peccata esse duplicia: alia expellere Spiritum S., alia non. Christianos aliquos reprimere concupiscentiam, alios illi obedire: peccatum in iis, qui pugnant, non dominari, esse veniale, non expellere Spiritum S., non subicere fundamentum, non esse contra conscientiam, tegi per Dei misericordiam.* Ex hac doctrina certum est, distinctionem peccatorum venialium, & mortalium non consistere in nuda DEI imputatione, vel remissione, ut dicunt, sed desumi ex ipsa rei natura; id quod manifeste destruit imputativam justitiam, ut ostendit sequens discursus. In justo, non obstantibus peccatis quotidianis, non regnat peccatum, sed Charitas, & Justitia, id quod sufficit ad eum denominandum justum, licet im-

T 2

pu-

(b) p. 675. (c) p. 75.

putatio illorum peccatorum quotidianorum non accedat ; quia a potiori sumitur denominatio : ergo ad explicationem justificationis non requiritur illa imputatio , sed homo independenter ab ea justus est , quia in illo regnat Charitas , & Justitia , non autem peccatum ; peccata enim , quæ in illo sunt , talia sunt ex se , ut conscientiam , & fundamentum non perdant &c. Nullam quidem Melanchton , nescio qua de causa , mentionem fecit hic bonorum operum , quemadmodum fecerat in Confess. August. verum supplevit (d) Confessio Wittenbergica , definiens , *necessario debere prædicari bona opera , eaque per bonitatem Dei gratuitam mereri remunerationes suas corporales , & spirituales ; ex quo constat , gratiæ non obstare , sed cum illa stare posse meritum.*

Anno 1557. novus WORMATIÆ ad conciliandas Religiones conventus celebratus procurante Carolo V. præsidente Pflugio , Auctore libri , dicti *Interim*. Burnet in eo conventu depingit nobis Catholicos , tanquam homines , *qui , cum non possent vincere adversarios , concitarint unum adversus alterum in materiis exigui momenti.* Verum ipse Melanchton veritatem nobis aperit

(d) De bon. oper. ib. p. 106.

Ab Anno 1546. usque ad 1561. 295

rit in suis epistolis. (e) Cum Doctores Protestantium WORMATIÆ advenissent, Legati Principum Protestantium iis congregatis nomine dictorum Principum dixerunt, ut ante disputationem cum Catholicis, ipsi inter se contra, 4. Errores consentirent. 1. Contra Zwinglianos, 2. contra justificationem Osiandri, 3. in proscribenda propositione, quæ asserit, Opera ad salutem esse necessaria, 4. contra eorum errorem, qui receperant caeremonias indifferentes. Ultimus hic articulus manifeste concernebat Melanchtonem, fuitque ex Cabala Illyrici propositus. Resciverat hoc Melanchton; unde adhuc in itinere constitutus ad suum Camerarium scripsit: *ad mensam, & inter vitra cuduntur certi articuli preliminares, a me, & Brentio* (erat autem Melanchton tunc cum Brentio arcte unitus) *subsignandi.* Ibidem representat Illyricum, vel alium quempiam e Cabala, *velut furiam de porta ad portam currentem,* ad animandos scilicet alios; similiter articulus de bonis operibus, imo & reliqui contra Melanchtonem non obscure instructi videbantur, qui Zwinglianis, & Osiandro favere credebatur. Non ergo Catholici

T 3

(e) L. I. Ep. 70. ejusdem Ep. ad. Albert Harden. & Bullin, apud Hosp. 250. 1557. L. 4. 868. & eq.

tholici discordias seminabant inter Protestantes; sed ipsi jam inter se discordes erant, non quidem, ut vult Burnet, in exigui, sed in magni momenti articulis, quales fuere: ille de justificatione, præsentia reali, necessitate bonorum operum. Consensit autem Melanchton, (f) 1. Zwinglianos esse damnandos æque, ac Papistas. 2. Osiandrum non minus censura dignum. 3. In illa propositione: Bona opera necessaria sunt ad salutem, ressecanda ultima verba, *ad salutem*: solenniter itaque damnata est hic bonorum operum necessitas ad salutem, quam Burnet communi voce a Protestantibus admitti asseruit: Brentius interea Osiandri partes tuitus est, dicens: non intelligi, quæ auctor ille vellet; facile itaque proscripta tunc fuissent, quæ volebat Illyricus, nisi Melanchton, funestiores timens dissensiones, impedivisset; non tamen prohibere potuit, quin rumor ad Catholicorum aures perlatus sit, qui ex his ipsis adversariorum dissensionibus occasionem sumpsere, urgendi necessitatem agnoscendæ auctoritatis Ecclesiæ; quod ut advertit Illyricus, cum suis volens ostendere, Reformationem habere media, sanandi natos inter reformatores errores, Catho-

(f) L. sup. cit.

tholicis exhibuit catalogum Articulorum damnatorum; hunc vero cum Illyrici adversarii rejicerent, magis discordia patuit. Catholici proinde, nolentes ultra continuare conferentiam, Lutheranos digladiari sivere, quemadmodum Paulus Phariseos, & Sadduceos.

Osiander inter hæc intolerabilis fiebat (g) in Prussia, publice præferens contemptum Augustanæ Confessionis, imo & meritorum Christi, de quibus nullam in negotio justificationis faciebat mentionem. Opposuerunt se illi Regiomontani Theologi, & in specie Staphylus, Theologiæ Professor, qui annis sedecim Melanctonem, & Lutherum audiverat. Verum cum nihil proficerent, ac Wittenberga, & Germania Lutherana, in auxilium vocata, timide rescriberet, agnoverunt, & deplorarunt in Reformatione defectum Judicis Controversiarum, & inter ceteros Staphylus hac occasione ad Ecclesiæ gremium rediit.

Anno sequente (h) Protestantes Francofurti convenere ad scribendam formulam in materia Eucharistiæ, non secus, ac si nullos hætenus de ea re Articulos, vel

T 4

Con-

(g) Chyt. in Sax. l. 17. tit. Osiand. p. 444. & seq. ib. 448. (h) 1558. hosp. f. 264.

Confessiones scripſiſſent: formula pro more nomen habuit repetitionem Confess. Aug. Dicebatur in ea, *Christum dari in Eucharistia usu vere substantialiter modo vivifico. Duo continere Sacramentum, panem, & Corpus; Monachorum inventionem esse, ignoratam toti antiquitati, quod Corpus detur in specie panis.* Atqui hoc ipsum dicebat una ex primis editionibus Augustanæ Confessionis, quam repetere se boni isti jactabant, & hodie adhuc Gallica Ecclesia Francofurti in suis Ritualibus ita habet articulum 10. Confessionis: *recipi Corpus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini.* Sic fratres illi Cadmei se confodiunt; sic ædificata diruunt. Majoribus animis agitabatur inter eos Controversia de ubiſſitate, quam propugnabat Westphalus, Andreas, Smidelinus, Chytreus; (i) his opposuit Melancton duas rationes apodiæcticas: primo hac ubiſſitate confundi duas in Christo naturas; secundo destrui Eucharistiæ mysterium, quod jam nihil ultra singulare haberet, stante ubiſſitate. Ex his rationibus horrebat Melancton ubiſſitatem, adeo, ut insensibiliter declinaverit ad defensores sensus figurati, quo sine speciale habuit litterarum commercium cum Calvino, licet

(i) 1559.

cet in multis ei opinionibus nequaquam acquieverit; quales fuere: illa de inamissibilitate gratiæ, de indifferentia Baptismi, de prædeterminatione, & necessitate actuum voluntatis; quæ omnia constanter rejiciebat Melancthon, ut patet ex ipsius scriptis. Calvinus interim jactabat, secum sentire Melancthonem, maxime in Cœnæ articulo; dum tamen interim eundem per frequenter arguit, quod nunquam in hac materia sensum satis aperuerit. Illud verosimilius videtur, hos duos nunquam se invicem bene intellexisse; Melancthon voce propriæ *Substantiæ*, quam Calvinus usurpare affectabat, erat excæcatus; alter probabat in Melancthone separationem panis, & Corporis, licet per hæc Melancthon præsentiam substantialem excludere noluerit. Peucerus interim, Melancthonis gener, (k) asseruit, eum fuisse Calvinistam, qualis & ipse factus est, & ad id comprobandum libris editis enarrat, quæ sibi Melancthon circa hanc materiam dixerit. Verum & hic forsan in materia, per tot æquivocationes agitata, a sensu Melancthonis aberrare potuit. Certe in hujus scriptis nil certi in hanc rem inve-

T 5 nitur;

(k) Peuc. narr. hist. de Sent. Mel. It. hist. Car. &c.

nitur; nullibi dicit: recipi Corpus Christi per solam fidem; nullibi, illud non accipi ab indignis; quibus tamen characteribus defensores sensus figurati discernentur: denique illud post omnia certum videtur, Melanchtonem, timentem novas semper dissensiones, nunquam finiendas, ita generaliter loqui consuevisse, ut eum quilibet fere ad se trahere potuerit.

Interim ubiquitas recipiebatur ab omnibus, solo Melanchtone, & Brentio adversantibus; qui tamen aperte loqui ausi non sunt. *An integram*, inquit Melanchton, *veritatem exponere potero in loco, ubi dego? an illud ferret Curia? - - - - dicam veritatem, si aula non impedierint*: ita (1) Sacramentarii de Brentio, ad cujus litteras provocant; sed & eæ, quas amici ejus vulgarunt, perfecte consentiunt. Peucerus, omnia simpliciter narrans, ait: eum ita ubiquitous fuisse exosum, ut Chytreus dixerit: *amovendum Melanchtonem, perpetuo alias impedimento futurum suis intentionibus*: ipse in epistola ad Electorem Pal, de qua (m) meminit Peucerus, scribit: *se ultra velle disputare contra homines, quorum crudelitatem experiretur*; quoties, inquit Peucer,

(1) Hosp. 1557. 249. 250. (m) Peuc. hist. car. Ep. ad pal. ap. hosp. 1559. 260.

Et quot singultibus mihi explicuit rationes, quibus impediretur proferre sensum suum. Quanta miseriarum moles! Reliquerat antiquam Ecclesiam, credens, in nova Reformatione invenire asylum veritatis; at hæc incipiebat tueri monstrum Ubiquitatis, quod horrebat: propendebat forte ad partes Sacramentariorum; at hic inveniebat errores alios, quos detestabatur: volebat exponere sensum; at suorum furore prohibitus non audebat. Ita per mille curas, & dolores laceratus infeliciter obiit.

Super ruinam (n) Melanchtonis stabilita est ab Illyrico ubiquitas; damnati etiam (quod hætenus Melanchton impediverat) Jenæ in Synodo Zwingliani, & quod mirere, ex auctoritate Ecclesiæ, Protestantibus jam agnoscentibus, nil valere ad errorum destructionem, & quæstionum definitionem, quam Ecclesiæ judicium. (o) Verum, ut eis objicit Calvinus, contra propria Reformationis principia hac ratione Lutherani agebant, adeoque ipsi debebant solvere ea, quæ Ecclesiæ, & Conciliis objiciebant. Contra Catholicos disputantes dicebant Protestan-  
tes

(n) 1560. Hosp. 1560. p. 269. (o) 2da def. cont. Westph. Cal. Ep. p. 324. ad Ill. ger. prim. Ho(pin. 1560. 269, &c. 270. 271.

tes Ecclesiæ, suos ipsorum Pastores debere habere votum, & sessionem in Conclilio; hoc ipsum petebant a Lutheranis Reformati: dicebant Protestantes, Ecclesiam velle judicare in causa propria, imo errare posse; eadem repetebant Reformati contra Lutheranos: ex quibus omnibus patuit primo, imitandam necessario Ecclesiam in decisionibus, ejusque auctoritatem non esse penes sectarios, sed in alio corpore, Ecclesia scilicet Catholica, in qua fuit ab initio.

Alia subinde ratione Reformationis infirmitas patuit: convenere Protestantes Naumburgi ad decernendum, quænam inter tot editiones sit genuina Confessio Augustana? Stupenda omnino res! hanc fidei novæ regulam, ubique receptam, tam diversis modis sub ipsis Lutheri oculis Wittenbergæ, & alibi impressam fuisse, quin intra annos 30. quisquam notabiles editionum diversitates conciliare cogitaverit; sed illud magis stupendum, quod nec in conventu Naumburgensi (p) unam authenticam declarare, & eligere ausi sint, quia omnes auctoritate publica impressæ videbantur. Illud quidem verum est,

Naum-

(p) Act. Conv. Naumb. ap. hosp. 1561. 280. &c. seq. sup. l. 3.

Naumburgenses elegisse unam, sed addita protestatione, se ideo non improbare ceteras, maxime Wittenbergicam 1540. in conspectu Lutheri impressam, quæque in conferentiis cum Catholicis, & in Lutheranorum Scholis usui erat. Sed nec illud exacte scire potest, quam prælata fuerit a conventu Naumburgensi; quamvis verisimile videatur, fuisse illam, quæ apparet a capite libri Concordiæ, verisimile, inquam; nam post omnia & hoc dubium est, cum viderimus quatuor diversas editiones de Cœnæ articulo in illo libro recipi. Vide supra dicta.

Multo minus sensus Confessionis Augustanæ in illo conventu fuit determinatus; adeo ut Fridericus Palatinus crediderit, vel videri voluerit, invenisse in illo conventu ejusque explicatione doctrinam Zwinglianam, quam recenter amplexatus fuerat; licet interim Confessionista esse, & haberi voluerit. (q)

Ob has dissensiones Zwingliani nequam, & irrisores, vocabant Confessionem illam Pyxidem Pandoræ, Pomum Discordiæ, Pallium largum, & amplum, ad tegendum simul Christum, & Sathanam. Et sane omnia in Confessione illa  
erat

(q) Hosp. 1561. 281. Hosp. ibid,

erat reperire, præter ubiuitatem ; quæ tamen libro Concordiæ authenticæ inserta est. (r) Ita enim ibi legitur : *Dextera Dei est ubique , & Iesus Christus ibi est unicus vere, & in effectu secundum humanitatem.* Et adhuc clarius alibi : *Iesus Christus non solum ut DEUS, sed etiam ut homo scit omnia , potest omnia, est præsens omnibus creaturis.* Monstruosa profecto hæc doctrina est, Equidem scit anima Christi, quæ concernunt mundum præsentem , electos , & reprobos, quorum Rex, & Iudex est ; potest, quæ vult, sed dependenter a Verbo ; similiter potest constituere Corpus suum , ubicunque vult ; verum dicere, illam scire, posse omnia, quæ DEUS, est illi attribuere Omniscientiam, Omnipotentiam, Immensitatem, est facere creatorem Christum ; imo sequeretur pariter, fuisse omni tempore ; verbo, ruerent omnia mysteria Christi, ejus vitæ, & passionis. Eadem doctrina fusius, sed etiam cum pluribus ambagibus habetur in parte (s) libri, cui titulus, *Solida, plana, & facilis Repetitio aliquot Articulorum Conf. Aug.* In hoc titulo falsa omnia ; in primis non est Repetitio ; quam enim doctrinam de ubiuitate

(r) L. Conc. in art. brev. c. de cœna Domini p. 600. (s) c. 7. & 8.

te continet, ejus nulla fit mentio in Confessione Augustana; hoc ergo nomen tantum usurparunt Protestantes, ne innotesceret tam facile, novam, & insolentem hanc doctrinam esse assutam Augustanæ Confessioni. Secundo non est plana, facilis, & brevis Repetitio, sed prolixa, & involuta multis ambagibus. De cetero ubiquitatem hanc adstruxere Lutherani, ut facilius Sacramentariis resisterent, qui asserbant, Corpus idem non posse esse in pluribus locis. Obiter hic advertite, Lector, crebras istas Repetitiones argumento esse, nunquam satis Lutheranos explicasse articulos suos, nec sibi ipsis satisfecisse.

Super cooperationem liberæ voluntatis nostræ duo dicunt Lutherani, quæ multum lucis affundere possunt illi, quam cum ipsis in hac materia habemus, disputationi, quæ breviter, & clare proponam.

Primo distinguunt Lutherani momentum conversionis ab iis, quæ consequuntur illud momentum, ajuntque, in ipsa conversione hominis cooperationem non habere locum, sed tantum in bonis operibus, quæ consequuntur. (t) Difficile est,

(t) Conc. p. 582. 673. 680. 681. 682. p. 656. 662. 668. 674. 678. 688, &c. seq.

est, fateor, quod dicunt, maxime dum per alia loca videntur tantum excludere a conversione *Cooperationem per vires proprias naturales, & ex nobis ipsis*, id quod & nos concedimus. Verum si hoc velint, frustra distinguunt, inter momentum conversionis, & actus sequentes, cum utrobique homo viribus naturalibus cooperari non possit. Ridiculum itaque est, dum ajunt: (u) *in conversione hominem non agere plus, quam saxum, vel lutum; nec enim negari potest, in conversione hominem incipere sperare, credere, amare vera actione, quam fidem, spem, & amorem non alio modo, sed tantum majore postea ardore profequitur, utrobique submittens se Spiritui Sancto, & ejus virtute agens.* Agnovere hoc ipsum Lutherani, dum ajunt: (x) *Lutherum, dum ait, voluntatem habere se pure passive in conversione; non voluisse per hoc negare, in anima nostra non excitari motum, & incipere novam aliquam operationem; sed tantum indicare, hominem nihil posse per se ipsum, & per vires suas naturales, ita Lutherani.* Sed, quod mirum est, paulo post aliter loquuntur, *conversionem hominis esse operationem, & donum Spiritus S. non ex parte, sed*  
*in*

in sua totalitate; ex quo male concludunt Spiritum Sanctum agere in nobis, tanquam in subiecto patiente, hominem remanere sine actione, & tantum pati. Mala isthæc conclusio, ex bono deducta principio, ostendit, Lutheranos ipsos se non intelligere. Certe pro fundamento ponunt, hominem propriis viribus naturalibus nil posse; at vero male ex hoc concludunt, hominem in conversione esse sine omni actione, vel etiam debebunt concludere, eum toto vitæ Christianæ decursu sine actione esse. Quam enim parum viribus propriis gratiam acquirere, tam parum iisdem viribus eam conservare possumus; nescio igitur, quid Lutherani velint, dum negant Spiritum S. & hominem cooperari, sicut duo equi currum trahunt. (y) Libenter enim illis hoc damus; nec enim equus ab equo vires accipit, quemadmodum homo a Spiritu S. qui, ut ibidem dicunt Luth. *Vires novas a Spiritu S. accipit, quibuscum cooperatur.* At forte volunt, Spiritum S. ab initio excitare in nobis motus bonos sine nobis; verum & in hoc nos habent consentientes, adeoque non video, quid controversiæ in hac materia superesse possit, si suam, & nostram sententiam probe intelligant.

U

Alte-

Alterum, quod in hac materia docent Lutherani, argumento est, nullum esse errandi finem, dum semel regula relinquitur. Obiciebant contra doctrinam de sola Spiritus S. operatione Libertini: *Si Spiritus S. omnia faciat, non ergo opus esse lectione, auditione concionum, & frequentatione Sacramentorum.* Præterea fideles, audientes Spiritum Sanctum, se solo immutare corda, ut homo non habeat, quod agat; dum ipsi interim in se nil nisi misérias, & infirmitates notarent, in extremas conjiciebantur angustias, putantes, se reprobatos, & relictos a Spiritu Sancto.

Ut his incommodis mederentur Protestantes, statuerunt (z) propositiones sequentes; *non esse dubitandum, Spiritum Sanctum esse præsentem per gratiam, quando purum ipse verbum annuntiatur, & ab hominibus auditur, ac consideratur; licet interim non semper sentiatur ejus effectus.* 2. *Hominem, etiam antequam sit regeneratus, posse legere, & audire Evangelium exterius, & in his rebus exterioribus hominem quadam ratione habere liberum arbitrium, ut possit interesse conventibus Ecclesiæ, audire verbum, vel non.* Ex his inferebant: in hominis potestate esse, habere Spiritum Sanctum, cum in ejus potestate sit, audi-

re

(z) p. 669. ibid.

re verbum (quo sine aiebant, ordinatum esse verbum, & institutam Ecclesiam.) cum quo connectitur Spiritus Sanctus. Ex hac doctrina consequitur, gratiam, ut ita dicam, attrahi per liberam auditionem verbi DEI, & quidem per auditionem, quæ sit externa, adeoque naturalis, præcedens Spiritus Sancti operationem. Quod ipsum explicat insignis Lutheranus (a) similitudine pretiosi olei, in superficie stagni natantis, in cujus abyssso sunt homines, qui, si viribus naturalibus uti velint, emergere, & de pretioso liquore ad utilitatem suam haurire possunt. Hoc vero quid aliud est, quam ab uno extremo vergere ad aliud, & libero arbitrio naturæque dare fere omnia, dando principium boni, dum timetur, ne aliquid concedendo, DEUS inhonoretur, qui est ipsissimus Semipelagianismus, quem evitare volebant, omnia libero arbitrio negando.

Hic Semi-pelagianismus jam etiam irrepsit in Scholas Reformationum, qui ajunt, (b) non damnari hanc opinionem, & posse attribui libero arbitrio initium salutis.

U 2

Dicit

(a) Cal. Jud. n. 32. 33. 34. (b) Jurieu. Syst. de Eccl. l. 2. c. 3. p. 249. 253.


Dicit denique Concordiæ liber : *fi-  
deles in suis conflictibus nulla ratione dubitare  
debere, nec de justificatione imputata per fidem,  
nec de salute æterna.* Quibus verbis videtur  
innui certitudo salutis, & consequenter  
inamissibilitas gratiæ, quam Lutherani ne-  
gant. Verum Gerardus illam certitudi-  
nem ait (c) esse talem, quæ excludat ti-  
mores immoderatos, certitudinem condi-  
tionatam, nisi DEUS a peccatore desera-  
tur, id quod & nos dicimus.

Post librum Concordiæ non meminit  
alterius scripti publici, & authentici, a  
Lutheranis vulgati; continet autem liber  
iste diversa scripta, & quidquid fere ad  
Religionis Luthericæ formam pertinet;  
editus est 1579. conventus Torgaviensem,  
& Bergensem Anno 1576. 1577. non hic  
addam, qua ratione, violentia, fraudi-  
bus subscriptio illius libri procurata sit,  
nec, qui Principes illi se opposuerint. Per-  
tractat hæc prolixè Hospinianus. (d)  
Decisiones particulares de Cœna, & ubi-  
quitate non diu ante mortem Melanchto-  
nis factæ sunt, circa annos scilicet 1558.  
59. 60. 61. Hos annos celebres fecere  
tur-

(c) Conf. Cath. 1579. l. 2. p. 3. a. 22. c. 2.  
The. 3. n. 2. 3. 4. & art. 23. cap. 5. the. un. n. 6.  
p. 1426. 1499. (d) Concord. discor. imp. 1607.

Anno 1561. Doctr. & Char. Calvini. 309

turbæ Gallicæ; quarum initia cadunt in annum 1559. Confessio Fidei in colloquio Possiacensi, opus Calvini, præsentata fuit 1561. (e) verum hujus rei gravitas examen sibi speciale deposcit.



## LIBER IV.

Anno 1561. Doctrina, & Character  
Calvini.

### Summarium Libri IV.

**I**Nitium Reformationum Franciæ, quorum Caput Calvinus. Ejus sententia de Justificatione, in qua magis consequenter procedit, quam Lutherani; in majora tamen etiam inconvenientia incidit. Tria absurda adjungit doctrinæ Lutheri: Certitudinem salutis, inamissibilitatem gratiæ, & justificationem parvulorum independentem a Baptismo, contradictiones in tertio puncto. In materia Eucharistiæ damnat Zwinglium, & Lutherum, & nititur invenire medium. Realem præsentiam magis probat necessariam, quam in effectu admittat.

U 3

Modi

(e) Bez. hist. Eccl. l. 4. p. 520.